



# Disputatio politica de subditis octavi sive ultimi gradus, hoc est, vulgo seu plebe

<https://hdl.handle.net/1874/340970>

DISPUTATIO POLITICA,  
 DE  
 SUBDITIS OCTAVI SIVE  
 ULTIMI GRADUS,  
 HOC EST,  
 VULGO SEU PLEBE.  
 QVAM

Favente Deo Opt. Max.

SUB PRÆSIDIO

*Clarissimi Doctissimique Viri,*

D. DANIELIS BERCKRINGERI,  
 Lib. Art. Magist. & Philosophiæ Practicæ atque  
 Eloquentiæ in Almâ Ultrajectinâ Professoris,

*Publicè defendere conabitur,*

PETRUS DOMSELIUS Vesaliensis.

*Ad diem 9 Iulii, horâ 2 pomeridianâ.*



ULTRAJECTI,  
 Ex Officinâ JOANNIS à WAESBERGE,  
 Anno M DC XLIX.

*Nobilissimis, Amplissimis, Spectabilissimisque Viris,*

- D. JOANNI BREMGEN, J.U.L. }  
D. ANTONIO THER SCHMITTEN, } Florent: Vesalianis Reip.  
Civitat: Clivensum Syndico Consultiss. } Consulibus gravissimis.  
D. HENRICO van WERICH,  
D. ORTHWINO WESTENBERGH, M.D. } Reipubl: ejus.  
Illustris Scholæ Vesal. Scholarchis prudentissimis. } dem Scabi-  
D. JOANNI van BRACHT,  
D. HENRICO SCHMITT, } nis. Consultif-  
Provisorii Vesal: Fidelissimo. } mis.

*N E C N O N*  
*Piissimis, Doctissimis, ac Orthod. Relig; laude conspicuis Viris,*

- D. JODOCO RAPPARDO, }  
Avunculo suo Charsissimo. } Ecclesiæ, quæ Christo  
D. JOANNI STRACKIO, L.A.M. } Vesaliæ colligitur, Pa-  
D. CASPARO KEIDWERDIO, } storibus vigilantiſi-  
D. HERMANNO EWICHO, } mis.  
D. WILHELMO HULSI,

*U T E T*  
*Clarissimo, Praestantissimoque Viro.*

- D. DANIELI BERCKRINGERO, L.A.M. & in Acad. Ultrject. Philosophiae Practicæ, atque Eloquentiæ Professori Dignissimo, Experientissimo, Praesidi suo venerando, multum de se ac studiis suis merito, ideoque quoad vivam honorando.

*D E N I Q U E*  
*Reverendo & Spectabili Viro,*

- D. JOANNI SANTENO, L. A. M. & Gymnasii Vesal. Rectori Dignissimo. Praeceptorii suo.

*Hoc Gymnasma Politicum*

Submissè offert, dicat

*TETRVS DOMSELIVS*

Resp.

DISPVVTATIO POLITICA;  
DE  
Subditis Octavi & VI-  
timi Gradus,  
*Hoc est,*  
Vulgo Seu Plebe.

THE SIS I.

Gmen Subditorum claudit Plebs, que differt à Populo, quod populus significet honestiores & opulentiores, plebs verò inopem & vilem multitudinem, idque quando plebs & populus contraopponuntur, prout hoc loco fit à nobis. Etenim aliás populus èr wārd, tam divites, quām tenuiores, tam patricios, quām plebejos, comple&titur. Sic dicta δην τῶν πλεον̄, eò quod sint plures semper plebeji, quām patricii, à pluralitate, inquam, quoniam amplior numerus in civitate latè sumtā minorum, quām majorum. Aliter vulgus appellatur, ita ut populus sit tota civitas strictè sumta, vulgus verò plebs. *Martinus in Lex. Philol. vocibus Populus & Plebs.* Quę quandoque differt à populo, ut pars à toto, non ut species à genere, nisi velimus impropriare cum Triboniano. *Besoldus discut: Polit. 3. qui est de Democratiā, cap. 1. num. 2.*

I I.

*Hujus Plebis seu Vulgi genium & ingenium coronidis loco delineando delineabimus, quod Cæcum, & sine Autoritate, Affectionibus obnoxium, Credulum & Suspicax, Invidum pariter & Infidum, Leve atque Inconstans, Lucri avidum, Superstitionis, Feroculum, Pronum ad nova & seditiones, præsertim si duces habeat, Negligens egregii publici, denique Ludicum.*

I I I.

*Cæcum & sine Autoritate est Vulgus. Neque enim, ut lo-*  
H 2 *qui*

qui amat Cicero, judicat semper populus, sed movetur plerumque gratiâ, cedit precibus, siquè judicat, non delectu aliquo aut sapientiâ ducitur ad judicandum, sed impetu nonnunquam, & quâdam etiam temeritate. Non est, non est consilium, inquam, in vulgo, nō ratio, non discriminem, semperquâ sapientes ea, quæ populus fecisset, ferenda, non semper laudanda, duxerunt. In *Orat. pro Plancio*. Vnde cœcum habere cor turba hominum maxima dicitur Pindaro : In *Nem. Ode 7. Stroph. 2.*: Eunuchoque comparatur à Philone Iudeo, eò quod utriusque sint steriles, ille virtutis genitivæ & generativæ, hic, nemp̄ vulgus, sapientiæ : Lib. de *Iosepho*: Ut qui, cùm inter omnes maximè cœcutiat, cœcius videntes cœcitatis arguat, unumquê autem se sapere, cùm desipiat unus maximè : *Buchenanus in Iephthe*: Pravissimisque opinionibus ea putet mendacia, quæ vel auditu nova, vel visu rudia, vel certè supra captum cogitationis ardua videntur, quæ si paulò accuratiū explorāris, non modò compertu evidētia, verū etiam factu facilia senties. Apul. 1. Metam. Usque adeò

Παντὸς κατὰ τοὺς παντὸς γέλων περὶ γέλων ὅχλος ! Stobæus Serm: 44.

Nec mirum. Collectum enim est vulgus ex colluvie turbæ, & stultis insolentibus : Plato in *Axiocbo* : Quidquæ absit à perfecto, ferè non ex toto intelligit, quatenus autem intelligit, nihil putat esse prætermissum. Cicero 3. Offic. Atque istorum faltem non gravissimum testimonium multitudinis : Idem ib: A quâ in arte exemplum petere antiquitus ignorantiæ argumentum fuit : Aibenæus lib. 14. Deipnoso : Levitatisq; ad hunc præceptorem confugere. Plato in *Alcibiade*. Quæ cœla, cur nunquam populo voluerit placere Epicurus. Et enim, quæ ego scio, inquit, non probat populus, quæ vero probat populus, ego nescio. Seneca epist. 29. Et quâ quæsos sit autoritas in imperito rerum populo ? Quicquid laudat, vituperio dignum, quicquid cogitat, vanum, quicquid loquitur, falsum, quod improbat, bonum est, quod approbat, malum est, & quicquid extollit, infame : Balaenæ in *vit. Pontificis*. Nec unus, nec voluntatis unius, sed instar fluctuum aliás aliis,

lius, in omnibus dispar, etatibus, studiis, naturis, fortunis, cupiditatibus diversus, quemadmodum folia videntur esse eadē, & arborum earundem, cum tamen sint a prioribus diversa. *Aristides orat. Platon. I. pro Rhet.* Ut ita turba sit argumentum pessimi, neque tam curandum sit, quid de nobis multi loquantur, quam quid dicat is unus, qui intelligit justa & honesta: *Max. Tyrinus differ. 5. Plato in Socrate:* Puta Philosophus, qui vulgus esse non potest: *Idem lib. 6. de Rep:* Non magis, quam vulgus Philosophum. *Clemens lib. 5. Strom. Horsum Alopodus Phliasius, tibicine magno plausu laudato, cum in hippocenio adhuc moraretur: Quidnam hoc hoc est, inquit, magnum nam magnum aliquod malum oportet accidisse, alioquin tam multis haud probaretur.* *Athenaeus lib. 14. Deipnos. cap. 7.* Quo consilio Diogenes Cynicus, cum aliquando theatrum ingrederetur, obnitens exeuntibus, rogatusque, quid faceret? Respondit: Vobis equidem statuo adversus esse. *Lærtius in Vitâ ejus.* Idem ad dicentem, vulgus te irridet, dixit: Fortassis & illos asini, sed neque ipsi asinos curant, neque ego illos. *Ibidem. Πανοράμας* Antimachus, qui, cum grande suum poëma recitans, ab omnibus, preterquam a Platone, deferritus esset: Ego vero legam, inquit, nihilominus. *Τπαλλήλως* Cicero, qui, dum Catoni probaretur modo, aliorum judicia fulque de que habuit, eò quod ipsi unus Cato pro centum millibus esset. Ut rem mittam in compendium:

*Qui pendet ab errore & opinione vulgi,  
Pendet magis, atque arbore qui pendet ab alta. Seal. in Epidor.*

Quare,

*Si sapientiam amas, tibi ne sit opinio vulgi  
Ante oculos, populi neque sit sententia cura,  
Vana, pudore vacans, temeraria. Nam neque prudens,  
Nec justum est, confusa hominum turbæ, nec honestum  
Iudicium, inveniesque bonum hoc contingere paucis.*

*Cleanthes ex Ioachimi Camerarii conversione.* Ut enim vox populi aliquando sit vox Dei, tamen non raro est vox diaboli;

præsertim in nostro argumento.

I V.

*Affectibus obnoxium est Vulgus*, quos ponit & sumit suo arbitratu. Nihil nihil siquidem facilius, quām in quemlibet affectum mutare populum: *Quintilianus Declam. 2: Mutare vulgus*, quod cedit precibus, movet gratiā: *Cicero pro Plancio: Mutabile subitis, & tam prouum in misericordiam*, quām immodicum sævitia: *Tacitus lib. 1. Hist: Ut quod pravo studio*, quo etiam in certaminibus ludicris utitur, deteriori atque infirmiori faveat, & quos desertos à fortunā confexit, statim soluto pudore destituat. Id quod expertus ipse Christus ἐρεύνως, experti Apostoli, nominatim Paulus apud Lycaones & Melitenes, expertus David, perpestius ille senex, experti Alcibiades, Phocion, Philotas, alii. *Schonborner lib. 3. Polit. cap. 44.* Quo intuitu Plato nō congruē vulgus vasto comparavit bruto, aut potius mixturæ brutorum, ad imitationem pictorum, cūm tragelaphos, hybridas, tityros, muſamones, & cætera hujusmodi figmenta, atque animalia bigenera, depingunt. *Ficinus argum. 6. de Rep.*

V.

*Credulum & Suspicax est Vulgus*, quoniam quoquo modo audita pro compertis habet: *Tacitus 3 Annal: Facile ad accipienda credendaq; omnia nova. Idem 1 Hist. Scilicet nimis quām*

*Astruit auditis docilis per inania rerum*

*Pascere rumorem vulgi pavor. Silius lib. 4.*

*Et quisqué pavendo*

*Dat vires fama, nulloquè autore malorum,*

*Quæ faxeré, timent. Lucanus.*

Ac ferè vagus primū, & incertus rumor, mox, ut in magnis mendaciis, interfuisse se quidam & vidisse affirmant, credulâ famâ inter gaudentes & incuriosos. *Tacitus 1 Hist. Credulum autem? Immò & suspicax*, quale vulgo municipale vulgus, quod prouum admodum ad suspiciones: *Tacitus 2. Hist: Cuique adeò mos, quamvis falsis reum subdere. Idem 3 Annal. Quo jure, quāvè injuriā!*

In:

## V I.

*Invidum & Infidum est Vulgus. Invidum. Omni quippe po-*  
*pulo ineſt malignum quiddam & querulum in imperantes,*  
*ut qui egris oculis alienam felicitatem intueatur, ac redditus*  
*quidem & proventus principis acribus oculis aspiciat, conni-*  
*veat autem ad erogationes & sumptus: Tacitus 2 Hist. Dio lib.*  
*52: Omnis dignitatis iniquus judex, quia aut invidet, aut fa-*  
*vet. Cicero pro Cornel. Planc. Infidum: Quia nihil incertius vul-*  
*go: Cicero pro Mur: Neque quicquam tam inestimabil-*  
*quam animi multitudinis: Livius lib. 31. cap. 34: Cujus pro-*  
*cax ingenium. Tacitus 2 Hist. Quam in rem sic poëta vocife-*  
*rabundus, immō stomachabundus:*

*O funestus multis populi durusque favor,*  
*Qui cūm flatu vela secundoratis impletiv,*  
*Vexitque procul, languidus idem deserit alto,*  
*Sævoqué mari! Sen. Trag.*

Cui dipterio fidem facit ipsa experientia, ut omnium rerum,  
 ita etiam hujus, comprobativa.

## V I I.

*Leve atque Inconstans est Vulgus. Etenim in multitudine est*  
*varietas, & crebra, tanquam tempestatum, sic lententiarum,*  
*mutatio. Cicero pro Domo. Usque adeò*

*Scinditur incertum studia in contraria vulgus! Virg. 2. Aen:*  
*Cujus mos, ut in deterius, non melius, mutetur, gratamque*  
*habeat mutationem: Diodorus Siculus lib. 13. Biblioth. s. 94.*  
*Omnium omnium inconstantissimum: Seneca ep. 99: Gemi-*  
*numque undæ fluctuanti, quæ fortuitò agitatur, acceditque*  
*& abit. Demosthenes Orat: de falsis Legat.*

## V I I. I.

*Lucri avidum est Vulgus, ut quod eò inclinet, unde spes ei-*  
*molumenti oritur, ingentisque probri loco ducat paupertati,*  
*magnè verò gloriæ loco, divitiis per fas & nefas partis*  
*abundare. Horum, necato Iulio Cæfare, antequam aperi-*  
*rentur tabulae testamenti ejus, in quo legata relicta erant po-*  
*pulo, neque laudabant, neque vituperabant cædem factam*  
*Quirites, apertis verò testamenti tabulis, imperfectores sum-*

mo odio persequebantur. Schonborner lib. 3. Polit. cap. 44. Scilicet expleri nequit cupiditas vulgi, etiam si quæcunq; petierit consequatur, continuò majora alia atque alia appetit, & in infinitum progreditur. Halicarnassensis lib. 5.

### I X.

*Superstitionem quoque etiam est Vulgus*, quia imbecilli admodum est animi, quales animi facile superstitione cōcipiunt: Cicero de Divin: Cūm nullus sit animi morbus, tam multis erroribus perturbationibusqué scatens, & ex tam inter se dissidentibus ac pugnantibus opinionibus constans, atque superstitione: Plutarchus lib. de Superst: Quæ error insanus: Seneca ep. 123: Ideoquè in nullum magis, quam in insanam cadit multitudinem, quæ ex rebus, quæ casu etiam naturali, modo tam enī in solito, oriuntur, prodigia auguratur. *Paradinus in Symb.* Vlque adeò nulla res multitudinem efficacius regit, quam superstitione, quæ alioquin impotens, sœva, mutabilis, ubi vanâ religione capta est, melius vatibus, quam ducibus suis, paret. *Quintus Curtius lib. 4.* Quo sit, ut, dum superstitione urget, adjiciendi ex duce sint metus: *Tacitus 1 Annal:* Maximè in principiis bellorum, ubi populus religiosissimus esse solet. *Livius lib. 31. cap. 9.*

### X.

*Feroculum hinc est Vulgus*, ut cuius procax ingenium: *Tacitus 2 Hist:* Impigræ linguae, ignavi animi: *Sallustius in Catil:* Cuiqué adeò, quidquid modestum, ignavię speciem habet, quod circumspetum & providum, segnitiae, quicquid autem abruptum & præceps, id verò forte & virile censemur: *Thucyd. lib. 3:* Vincente ferè parte majoris animi, quam consiliis *Livius lib. 7:* Quod rarum in plebe. *Cicero in orat. pro Plancio.*

### X I.

Sed & Pronum ad nova & seditiones est Vulgus, præsertim si duces habeat, cùm sit ingenio mobili, seditionum atque discordiis, quieti & otio aduersum: *Sallustius Iug:* Cujusque motus novi cupidum: *Tacitus 1 Hist:* Atque ita quidem cupidum,  
ut

ut nullum profundum mare, nullum vastum fretum & procellosum tantos fluctus cieat, quantos multitudo motus habet, præsertim si novâ & brevi duraturâ libertate luxuriat.

*Q. Curtius lib. 10.* Quâ de re sic Nicetas: Est profectò moribus hic omnium civitatum, ut plebs sit temeraria, & magno impetu feratur, neque consilio quoquam aggrediatur, sed interdum famâ tantum seditionis impulsa igni magis exæstuat, in enses, in præcipitia, in marinos scopulos cœco furore ruat. In *Vit. Alexii Comneni*. Vnde proverbialiter circumfertur, vulgus, aquam, & ignem, cohiberi haud posse. Dixi, maximè si duces habeat. Vulgus namque sine rectore præceps, pavidus, secors: *Tacitus & Hist.*: Atque ut mare, quod suâ naturâ tranquillum, suopte ingenio innoxium, ventorum vi agitatur, sic populus, suâ sponte placatus, hominum seditiosorum vocibus, ut violentissimis tempestatibus, concitatur: *Cicero pro Cluentio: Polybius lib. 11. Hist. cap. 27*: Vbi scilicet ab Asiam Thoas aliquis, aut Dicæarchus, ab Europâ Menestus, aut Damocritus, flare cœpit. *Damis in Orat. ad Romanos*. Quod ubi fit, tune multitudo vulgi attollitur, & more magis, quam judicio, post aliis alium quasi prudentiorē sequuntur: *Sallustius ad Cesarem*; Pecorum ritu, antecedentium gregem: *Seneca de Vit. Beat.*: Ut venti & auræ cident, aut tranquilli, aut procellosi. *Scipio apud Livium, lib. 28. cap. 27*.

X I I.

*Negligens egregii publici porrò est Vulgus: Quoniam communium curarum ferè expers populus: Tacitus 1. Hist.*: Cui privata stimulatio, & vile decus publicum. *Idem ibid.* De annonâ tantum sollicitus est, eique ex re publicâ una una annonæ cura. *Idem ib. lib. 4.* Duas res anxius optat, panem & circenses. *Iuvenalis in Sat.*: Ex publicis verò malis tantum fentit, quantum ad privatas res pertingit, cætera velut aliena habet & dicit. *Livius lib. 10.* Intenta mala, quasi fulmen, optant duntaxat, se quisque ne attingant. *Sallustius*. Vnde fit, ut qui apud multitudinem suâ causâ loquitur, gravior exinde.

inde eo sit, cuius mens nihil præter publicum commodum videt. *Livius lib. 3. cap. 68.* Omnia laevissimè!

X I I I.

Denique *Ludicrum est Vulgus*: Quoniam vulgo, sicut pueris, omne ludicrum in precio, quod pompis inanibus gaudet, animis puerilibus spectat omnia, oblectatur frivolis, & specie simulacrorū capitur. *Laelianus lib. 2. de Orig. Err. cap. 3.* Quorsū Cleon populum Atheniensem oblectare solitus est choragiis, gymnasiarchiis: *Plutarchus in Nicias*: Quid sciret, vulgus pueriliter identidem cupere, currentes equos, infistentes curribus homines videre. *Plinius lib. 9. ep. 6.* Scilicet, sicut cocus nihil aliud curat, quam inutiles & supervacaneas ventris voluptates: Eodem modo populus dedit se totum oblectamentis sensuum. *Philo Iudeus lib. de Iosepho.* Atque adeò, non liberorum amatores tanto desiderio liberorum ardent, nec gaudentes nuptiis tam cupidè spectant foeminas, nec avari defiderant pecunias, nec bellicosi pugnatores, & equorum altiores, *Olympica certamina*, atque hęc talia vulgus. *Phalaris ep. 77.* Vide etiam atque etiam *Lipsum lib. 4. Polit. 5. & 8. capp.*

COROLLARIA RESPONDENTIS.

- 1 **A** N juvenes sint idonei auditores Ethices? *Diff.*
- 2 An, qui degenerant à virtutibus parentum nobilium, sine Ethice nobiles? *Neg.*
- 3 An docturæ gradus ignobiliter aut denobilitet nobilem? *Neg.*
- 4 An rex bonorum omnium, quae subditi possident, sit dominus absolutus? *Neg.*
- 5 Habeatque talē vita & necis potestatem in eos? *Neg.*
- 6 Legibus/vé sic solutus absolute omnibus? *Neg.*
- 7 Annon gratiam & privilegia à prædecessoribus concessa possit revocare? *Diff.*
- 8 An liceat Christianis, ut magistratum, ita bellum gerere? *Aff: utrumque.*

F I N I S.